

S V E V I A.

57

*Suevia
olim re-
gnum.*



Sueviā olim regnum fuisse ex historiarum monumentis constat. Deinde in Ducatum redactum. Hodie vero nemo Germaniæ Principum Ducis Sueviæ titulo ornatur. Sub multis siquidē Principibus divisa est. Pars domui Austriacæ jure hereditario accessit. Dux Wirtenbergensis plurimam partem occupavit. Multæ in ea sunt civitates liberæ & Imperiales, multæ quæ Ducibus Bavariæ subjiciuntur. Hujus vero gentis tanquam nobilissimæ & antiquissimæ in Italia nemo veterum scriptorum non meminit. Ad Albim & Suevum fluvium eam olim habitasse ex Ptolemæo, Strabone, aliisque auctoriis liquet. Hodie autem arctioribus contenta terminis Germaniæ suprema portio est. A Septentrione illi adjacet Bavariæ Palatinatus, ab Oriente Ducatus Bavariæ, à Meridie Helvetiæ pars, ab Occidente Alsatia. Quondam hæc regio Alemania à lacu Lemanō (ut quidam existimant) dicta fuit.

Fines.

*Regionis
indoles.*

*Ad quar-
tum Circu-
lum. Impe-
rii pertinet.*

Regio est (ut eam pulchre describit Iohannes Aubanus, in suo de moribus gentium pulcherissimo libello) partim plana, partim montosa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta jacet, præter quam aut lacus, aut montes, vel silvæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Tota provincia salubritate gaudens, celebratissimis urbibus, vicis & castellis referta. Arces excelsæ, natura & arte munitæ. Circa montes ferrum, argentum & metalla procreat. Gens populosa, fortis, audax & bellicosa, præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta. Cujus gloria eo usque crevisse memoratur, ut virtute & armis imperium Orbis meruerit, illudque ultra unius seculi spaciū magnificissime tenuerit. Pertinet ad circulum Imperii quartum. Cujus circuli dum mentionem facio, quid hæc res sibi velit, aperiam.

Divisum est Imperium Germanicum in Circulos. Circulum vocant Provinciam vel ditinonem Imperii singularem, certo jure ac societate junctam, ad mutuam adversus hostiles incursus defensionem. Vastum enim illud Germanici Imperii corpus quum viderent proceres non posse simul facile moveri, placuit distinguere in certos tractus, quibus singulis præfessent consili capendi præfecti quidam seculares, ut postea in Comitiis Imperii tanto expeditius per ipsos ea peragerentur, quæ ad communem sui tractus salutem pertinerent. Ac primum qui-

Germania.

dem sex tantum circuli fuere constituti Augusta, anno 1500. Postea facti sunt decem, anno 1522 Noribergæ, quod tamen alii Treveris factum adserunt anno 1511. Primus Circulus est Franconia, Secundus Bavaria, Tertius Austria, Quartus Suevia, Quintus est Rheni, Sextus quartuor Electorum, Septimus Westphalicus, Octavus Saxonia Superioris, Nonus Saxonia Inferioris, Decimus Burgundicus.

Sueviæ Circulus quartus (propter quem hic sermo institutus est) tribus constat Ordinibus; Ecclesiastico, Principum, Civitatum. Inter civitates cum longe excellant Augusta Vindelicorum, Ulma & Constantia, accuratiorem istarum urbium descriptionem subjungam.

Augusta interdum Rhætorum, interdum Vindelicorum esse dicitur, quia Rhætia illa communis habet in se Rhætiæ singularem, ac præterea etiam Vindelicam Lyco amne à se invicem discretas. Tacitus eam vocat splendissimam Rhæticæ provinciæ coloniam. Quum autem credibile sit, Vindelicos aliquid etiam in adversa ripa terrarum habuisse, non est mirum, si quæ proprie Rhætorum fuit, ob hanc causam etiam dicta fit Vindelicorum, ipsis quoque Vindelicis in altera fluminis ripa ab hac parte nomen trahentibus. Vindus quippe in Lycum se exonerat in Rhætia, & ab hoc confluxu, qui ad Augustam fit, dicta est Augusta Vindelicorum. Est autem vetus admodum & antiqua hæc urbs, imo & ante Romanorum imperium celebris inter Rhætos & Germanos. Sed in eam postea auspiciis Cæsaris Augusti deducta est colonia, ex eoque illa Augusta dici cœpit; quomodo ad Danubium Augusta Aelia; in Gallia Augusta Ausciorum; in Hispania Augusta Bracarum; in Lusitania Augusta Emerita: in Comagenia Augusta Euphratesia: Prætoria in Salassiis, Rauracorum ad Rhenum; Veromanduorum, Suessonum, Taurinorum, Tiberii, Trevirorum alibi. Et verisimile est, coloniam huc ducentam, quo tempore Tiberius & Drusus Nerones Rhætiæ, Vindelicamque devicerunt subsidio adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum, ut ait Tacitus. Ab Augusta addita Germanicæ vocis terminatione dicta est Augsburgum, quasi dicas Augsburgo, burgum sive oppidum Augusti. Nunc ea Sueviæ accensetur, ex quo fortis Suevorum natio transito Danubio illa etiam loca insedit. Post calamitatem ab Attila illatam cœpit se ursus paulum erigere, sub Ostrogothorum rege Theodorico. Quum vero exactis Romanis Suevi Danubium Imperii limitem transgressi, Rhætiæ omnem invasissent, ac cum Allemannis ipsis quoque de pellendis Francis consilia agitassent, vieti ad Tolbiacum cessere potestati victorum, parueruntque Augustani

K k k Austra-

*Vrbes pre-
cipue.*

*Augusta
Vindelico-
rum.*